# TESTIS NOVUS AD SCHOLIA IN HOMERI ODYSSEAM

Rogantem amicum Aemilium Suárez de la Torre ut ei opusculum pro novo museo classico mittam prorsus placet iuvare. Praeterea non piget Latine loqui; nam quid posset magis decere quam ut studiosus philologiae novo de mundo in ephemeride Hispanica nuper incepta lingua communi reipublicae litterarum ita mea exponam? Etenim ephemeris est nomine tam augustae deae inscripta ut fere iubear ipsius uti lingua. Quae scribo spero fore illa digna, ita ut locum quo ea scribo; sed de hoc exiguus timor. Collegis Hispanicis libenter dico «felix faustum fortunatumque sit».

Refero lectiones potiores e codice Collegii Corporis Christi (Cantabrigiae) numero 81 in catalogo quem scripsit Montague Rhodes James (Cant. 1909). Continet hic codex Homeri Iliadem (pp. [sic] 1-457), Quinti Smyrnaei Posthomerica (pp. 457-713), Homeri Odysseam (pp. 715-finem). Chartae, saec. xv. (vide infra). Codici dedit v.d. F. Vian in editione sua Quinti carminis siglum «C». Textum scripsit Demetrius Xanthopulus, contextum (h.e. scholia) Demetrius Chalcondyles; illud iamdiu compertum habetur, hoc nuper a v.d. Nigel Wilson repertum est (hic primum publici iuris factum). Ambo scribae libros pro Bessarione, aliis confecerunt; erat hic liber inter bona Theodori Gazae, magistri Chalcondylis.

Pars codicis, quae textum Quinti exhibet, ab hyparchetypo «H» descripta est. Opinatur v.d. Vian hoc hyparchetypon codicem esse fortasse ca. anni 1300. In lucem protulit Bessario qui eum invenit in monasterio S. Nicolai de Casole, ordinis Basiliani, inter terminos annorum 1452 (ita Vian; immo 1453, vide infra) et 1462. Hic est annus venditionis in libro ab altero filio hyparchetypi «H» descripto inscriptus. (Alter ille filius, cod. Mediol. D 528 inf., et ipse a Demetrio Xanthopulo exaratus est, ut mihi patuit imaginem conferenti quam data Vian in libro suo *Histoire de la tradition manuscrite de Quintus de Smyrne* [Parisiis 1959] cum nostri codicis imagine; iudicium probat N. Wilson.) Nota etiam codicem Marcianum graecum 454, qui a nostro descriptus est, in bibliotheca Bessarionis anno 1468 locum habuisse, ut indicat catalogus a v.d. H. Omont

vulgatus (num. 443. Noster codex non inest.) Quod ad terminum 1453 attinet, asseverat C. Lascaris in praefandis ad editionem suam Quinti poematis Bessarionem codicem repperisse μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς κοινῆς πατρίδος. (Lascaris verba facilius invenies apud Migne, *PG* 161.945; refert idem Lascaris de loco ubi codex primum in lucem prodiit.) Mentio fit apud Vian epistulae Bessarionis ad Michaelem Apostolium, qua ei suadet ut Quinti carmen describat; sed cave, lector, ne hoc cum illo coniungas, nam Michaelis etiam tunc (1453) vivebat Constantinopoli, nondum Romam translatus, et codex est in Calabria inventus — unde alterum nomen poetae, Quinti Calabri. (De litteris vide L. Mohler, *Aus Bessarions Gelehrtenkreis* [Paderborn 1942] 478 adn.) Ergo cum Bessario has litteras scripsit, nondum Quintum legerat, quamquam famam acceperat, fort. ex Eustathio. De monasterio illustri quo librum tandem invenit, fautore scientiae ab origine anno 1089, fonte librorum magni pretii, vide Ch. Diehl in ephemeride quae inscribitur *Mélanges d'archéologie et d'histoire* 6 (1886) 173-188; vide etiam H. Omont, *REG* (1890) 381-391.

At non tacere possum, quod ceteri libri ab hyparchetypo «H» originem ducentes textum Homericum non praebent praeter unum, Vind. phil. gr. 5; tantum tamen distat hic a nostro in stemmate codicum a Vian confecto, et tot sunt codices in eodem stemmate qui textum Quinti solum continent, ut dubitari non possit quin scriba utriusque codicis carmina Homerica sua sponte addiderit. (Hoc ut probarem lectiones codicis Vindobonensis ex Alleni et Ludovigii editionibus tractationibusque sumpsi, unde apparet nostrum ab illo aut omnino dissentire [id quod saepius accidit], aut simul ac cum illo etiam cum aliis multis consentire.) Ergo videtur textus Homeri in codicem nostrum ex alio quodam fonte fluxisse. Attamen Homerus hic contubernalis est Quinti puri adhuc et maculis militiae longae nondum spurcati, illuvie saeculorum minime obruti; forsitan Homerus et ipse mundus sit.

In sequentibus refero tantum scholia in Odysseam; scholia enim in Iliadem nondum penitus perscrutatus sum (tamen in rebus mythographicis quae ad me maxime attinent nil novi praebent). Textum Quinti totum adhibuit editor Vian. In textu Odysseae possunt nova vel potiora inesse, sed in codice huius aetatis tot aliis antiquioribus exstantibus talia non exspectas. Accedit quod scholia in Iliadem et maiora et minora a vv. dd. Erbse et De Marco omnino investigata sunt (quamvis huius stu-

dia nondum publici iuris facta sint); codices autem scholia in Odysseam continentes haud omnes innotuerunt. Quin etiam Ludovigius in editione «auctiore» scholiorum in Od. 1.1-309 annis 1888-1890 Regimontii confecta, alioquin optimae utilitatis, codicem antiquissimum Bodleianum Auc. V.1.51 (saec. x.) suis oculis non inspexit. Joshua Barnesius, professor regius linguae Graecae in academia Cantabrigensi saec. xvii.-xviii., codice nostro in editione sua usus est, sc. textu tantum; aetatem eius quamvis antiquissimam credens (saec. vii.!) scholia legere magni non aestimavit. Editores recentiores item ea spreverunt.

In canticis prioribus censeres paene omnia ex Eustathii commentario pendere. Equidem non nego quaedam ab Eustathio huc defluxisse, sed vide an veritas ita se simpliciter habeat. Nam quamvis saepe cum Eustathio arte congruens vel eius adnotationes brevius referens interdum plus prodit, nonnumquam melius prodit quae communia sunt. Scholia multa habet quae apud Eustathium desunt, saepe forma puriore quam exhibent ceteri codices. Itaque est hic codex testis bonus scholiorum veterum, atque ubi exhibet Eustathiana confuse cum extraneis scholiis permixta dubitare licet utrum contaminatio quae dicitur praesto sit an quae Eustathii putabantur immo scholia vetera sint. Etenim editio princeps commentarii Eustathii in Odysseam in codice autographo niti videtur (Ven. Marc. gr. 460; vide M.L.A. Van der Valk, *Mnemosyne* 4.34 [1981] 385-388; E. Martini, *Rheinisches Museum* 62 [1907] 277, 283-286, 292-292), ut additamentis mutationibusque minima occasio fuerit antequam Chalcondyles eum legit, fortasse in autographo illo qui erat ipse inter bona Bessarionis. Editori quidem fragmentorum e scholiis haustorum minime refert utrum sit verum; lectiones meliores facile agnoscuntur. Investigatori autem fatorum scholiorum et Eustathii maxime potest interesse.

Ubi de fragmento mythographico agitur, confero codicem nostrum cum auctorum editione Jacobiana, quippe cum scholia in Odysseam Dindorfiana saepe lectoribus praesto non sint.

Σ Od. 1.276 Fere eadem ac Eust. p. 1417.23 sqq. refert (οἰκείας pro οἰκίας scripto, ἔνθα pro ἔνθα καὶ). Potest ex Eust. pendere.

2.190 Eust. 1441.11 sqq. brevius refert.

3.151 Eust. 1461.63 sqq. refert, his additis ex Etymologico Mag-

no p. 20.52: γίνεται δὲ παρὰ τὸ ἀῶ τὸ κοιμῶμαι· ἀέσσω ὅθεν καὶ ἀέσσεται τὸ κοιμᾶσθαι· οὕτως ὠρίων. Dici non potest utrum post an ante Eust. haec addita sint. Potius post, opinor; si ante, cetera non sunt Eustathii sed scholiorum veterum; at solet Eustathius fontes suos mutatos reddere, quamvis saepe perpauca mutet. Accedit quod si etymon in scholiis veteribus stetisset verba eadem in alio codice invenisses una cum auctoris nota; vera eadem non invenis, licet alia huius farinae insint.

4.10 Eadem ac Eust. 1479.23 sqq.

4.228 Eust. 1493.55 sqq. verbum a verbo exscribit.

5.125 Scholium apud Eust. non inventum, in codd. HPQ et «MS Barnes» (Collegii Gonvilii et Caii, Cant., cod. num. 76, a me collato; teste Barnesio «pervetustus nec cuivis facile legendus», sed saec. xv. vel xvi. est et polite scriptus) exscriptum; fere eadem invenies in scholio breviore ad eundem versum = Hellanici *FGrHist.* 4 F 135. πυρῶν εὑρεθῆναι haber noster recte (πυρὸν εὑρ. quidam).

10.493 Eust. 1665.40 sqq. refert paucis sublatis, mutatis. Versus tamen Tiresiae aliter praebet, forma quidem meliore:

οἴην μὲν μοίρην δέκα μοιράων τέρπεται ἀνήρ·
ἐννέα δ'ἐμπίπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα.

Quae aliter habet, eadem esse videntur quae in scholiis Dindorfianis ii.475 leguntur; sed plus illis habet, et non in omnibus consentit, velut quod post μεταβέβληται εἰς γυναῖκα scribit εἶτα συνκατενεγκὼν τὸν ἄρρενα fere ut Eustathius. Omnia haec apud Hesiodum (fr. 275 M.-W.) leguntur, praeter versum alterum qui primis vocabulis a testibus ceteris differt. Error proprius scribae potest esse, aut antiqua lectio vario. Potius hoc. Ergo noster e neutro (Eust. vel scholiis iam cognitis) pendere videtur; sed argumentis firmioribus opus est.

11.254 Eust. 1681.22 sqq. alio ordine refert.

11.266 Pherecydis *FGrHist.* 3 F 13. Haec omittit Eust.; nil momenti profert noster.

11.269 Habet eodem modo ac Eust. 1683.38 sqq.

11.281 Pherecydis *FGrHist.* 3 F 117 (Eust. 1684.57). Nil magni momenti praeter quod <τῶν> in lin. 27 unicus habet; sed facilis coniectura.

11.321 Asclepiadis *FGrHist.* 12 F 28. Deest apud Eust. qui tamen fabulam brevius narrat, Euripidem auctorem laudans utpote cui Asclepiadis enchiridio opus non sit. Haec nota:

(Jac. p. 174) 9 πειρῶντος habet unice et recte (coniecerat Cobetus)
10 οὐσῶν ὁμολογήσαντος habet iterum unice et recte (coniecerat Buttmanus)
11 εὔχηται
11-12 παρ' α<ὐτοῦ> Buttmanus, male: κ(ατὰ) noster, recte.

11.321 Pherecydis *FGrHist.* 3 F 34. Alia ita ut scholia vulgata refert, alia ut Eust. 1688.26 sqq. praecipue inde ab Jac. lin. 7; sed sub finem fragmenti non ex Eust. sua hausit qui ante sententiam paene ultimam et subscriptionem deficit. Iterum de contaminatione simplici potest dubitari. In lin. 3, ubi scholiorum auctoritatem sequitur scriba noster, ἐπὶ νυμφῶν(ος) per compendium scribit; id quod verum est (vide Eust.). Habent ceteri ἐπὶ νυμφῶν, quo freti editores ἔτι νύμφην male scribunt.

11.322 Pherecydis *FGrHist.* 3 F 148. Praefixit noster fere eadem quae dat Eust. 1688.42 sqq.; tum ea exscribit quae apud Jac. leguntur. Potiores sunt hae lectiones:

4 Θησεὺς ὁ Αἰγέως λαχὼν: ὕστερον δὲ Θησεὺς λαχὼν ὡς δ'ἔνιοι φασὶν ἑκών
7 μίτου: hoc habet. Asseverat Dindorfius expressis verbis codicem Bodleianum Auct. V.1.51 (saec. x., ab eo primo adhibitum) μίτου non μίλτου ut ceteros habere; tamen post αὐτοψίαν repperi contrarium verum esse: μίλτου habet Bodleianus, μίτου solus noster, recte.
11-15 longe aliter ac scholia vulgata exhibet, immo simi-

liter ac Eust. 1688.41 sqq.; sed in mediis Eustathianis addit aliquid novi, κατὰ δέ τινας ἰδία καθεύδει. Inde ab lin. 15 iterum ad scholia vulgata redit; sed post lin. 20 addit Eustathiana 1688.45 sq., 51 sqq.

11.326 Asclepiadis *FGrHist.* 12 F 29. Haec praebet modo omnimo confuso, Eustathianis (1689.3 sqq.) et scholiis vulgatis permixtis; at cave ne de contaminatione simplici putes:

19-29 πρὸς - αὐτῆι: αὐτοὶ, στέργειν τοῖς ὑπὸ ἐριφύλης κεκριμένοις ἐπιτρέψαντας τὴν περὶ τούτων κρίσιν αὐτῇ noster; scribit Eust. αὐτοὶ, κρίνειν αἱρετῶς τὴν Ἐριφύλην αὐτοῖς, καὶ αὐτοὺς στοιχεῖν τοῖς κριθεῖσι.

21 lacunam in scholiis explet noster ita: ὁ δὲ ἄδρατος [sic] ὥρμητο πάντως στρατεύειν ἐπὶ Θήβας; Eust. ita: Ἄ . δὲ ἤθελε μάχην.

24-25 <τὸν - στρατείαν: ἀμφιάραος δὲ εἰδὼς τὴν ἐριφύλην διεφθαρμένην ἐπὶ δώροις (haec solus noster; tum cetera ut Eust): μεμψάμενος τὴν γυναῖκα ἐξώρμησεν καὶ αὐτὸς εἰς τὸν πόλεμον.

Quae in hoc scholio offert noster potest ipse denuo finxisse, praeter illud στέργειν quod vix a coniectura profectum est. At talia apud Demetrium non exspectaveris (de Homeri editione principe quam confecit ille anno 1488 arte critica carente vide G. Gammelli *Demetrio Calcondila* [Florentiae 1954] 91 sq.); potius censeres Eustathium hoc scholium brevius reddidisse.

11.326 Hes. fr. 62. Post Κλυμένη inserit noster θυγάτηρ ἴφιος ἦ quae recepit Barnesius ex Eust. 1689.1.

11.520 Acusilai *FGrHist.* 2 F 40. Deest apud Eust.

13 ἐξὸν, probabilius.

12.69 Asclepiadis *FGrHist.* 12 F 31. Fere omnia dat ut scholia vulgata; tamen in lin. 14 sq. textum purum et integrum ita ut Eust. 1712.17 reddit. Nihil obstat quin his utamur in textum emendandum; nam incredibile est, Demetrium

haec tantum corrupta ex Eust. correxisse. Immo patet omnia haec in commentario vetere stetisse. Similiter in lin. 16 ante παρεκάλουν bene inseruit καὶ σοφὸν εἶναι μαθόντες, ut Eust. 1712.17.

19.432 Pherecydis *FGrHist.* 3 F 120. Deest apud Eust.

14 ἐν αὐτῶι - Ἑρμῆι>: ἑρμῆ παρελέχθη ἐν αὐτῷ καὶ ἀπόλλωνι, nescio an recte.

21.295 Bacchylidis fr. 44 (Dindorf. ii.702.1 sqq.). Ad initium habet ὅμηρος μὲν ἕνα, id quod coniecerat Barnesius, et invenit Dind. in cod. Bodleiano (vid. eius Praefationem). In universum reddit fabulam peius ceteris, sed sub finem τοῖς ἐκεῖ ἐπιστάντος recte conservat ut Eust. (qui quidem posteriora de Bacchylide tantum refert, priora omittit).

Summa est, debere editorem futurum scholiorum Odysseorum notitiam quam plenissimam huius codicis habere[1].

Dabam Oxonii R. L. FOWLER
a.d. xii Kal. Apr. a. D. MCMLXXXVIII

iterum scribebam Waterloo, Ontario
a.d. vii Kal. Mai. a. D. MCMLXXXIX

[1] Gratias ago amicis collegisque A. Dyck S. Haag R. Kassel qui plagulas benigne legerunt, errores quosdam sustulerunt; gratias habeo etiam v.d. N. Wilson, cuius auxilium in hoc opere lectori patet.